



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Decas Selectarum Quæstionum

Vogel, Gerhard Georg Wilhelm

Ingolstadii, 1728

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62148)

PRÆFATIO.

Verissimè ait celeberrimus quondam Dilingæ ac Salisburgi Professor, & subtili non minùs, quàm copiosâ legum peritiâ de orbe literario meritissimus D. Bernardus GLETLE *in enucleata præfatione ad Jurisprudentiam suam fundamentalem*: si ullam aliam, certè disciplinam Juris, infelici fato regi; eoquòd alii, qui ingenio valent & copiosâ juris notitiâ pollent, aut planè nihil luce publicâ donent, aut quandoque nimiâ ducti præsumptione oleum & operam malè in edendis libris collocent; Alii econtra, qui sufficienti legum peritiâ destituti sunt, nescio quâ intemperie ad scribendum abrepti festinatis votis id dant sæculo, quod pudorem suis mox excutiat Aucthoribus; Qui dum sententias ad lucernam non examinant, dum ordine sua non digerunt, sed temerè chartis illiniunt, & calore præpropere effundunt, futilia non utilia, ex alieno sine fronte sublecta non electa, libellosque Thuris piperisque cucullis aptos ac æternis dignos tenebris obscuro partu in lucem protrudunt.

Horum ex numero non absque fundamento me esse judicaverit Benevolus Lector. qui eò prolapsus fuerim audaciæ, ut inter eruditissimos hujus ævi scriptores & meum addere symbolum velim conatu saltem præsumptosò, si non temerariò, quippe qui primis elementis juris nimiùm leviter adhuc tinctus sim, ad tyrocinia Themidis ablegandus. Æquissimæ huic censuræ totus acquiesco, sed simul temeritati meæ aliquam prætendo veniam, & moneo, non tam meò id factum fuisse consiliò, quàm aliorum præceptò; qui diligentia à me juridico studio impensæ, haustique in celeberrimo hoc Themidis Athenæo profectûs specimen lutulentius edi & desiderabant & jubebant. Quare te Benevole Lector deprecaturus accedo, ut hanc Quæstionum Decadem, diligentia primitias & laboris mei decimas æquiori oculò dignari, sphalmata mihi mea (quorum plura fortassis invenies) benignus indulgere tuâque benevolâ seu interpretatione seu excusatione, quâ licet, emendare digneris; & ubi illas cum fructu à me collectas esse reperis, persuasus esto, suò olim tempore aliis me lucubrationibus, (annuente votis Cælò) tuæ orexi satisfacturum esse; si verò, quod certè erit, inutilem in illis operam locatam fuisse judicaveris, veniam saltem pro laude spero, meque totum contentum esse credito, ubi id, quod Poëta Phaëtonti Solis currum non sibi filio juveni, sed Patri seni debitum, animosiùs quam feliciùs regenti accinuit, mihi acclames:

Quem si non tenuit: magnis tamen excidit ausis
Vale &, quod rogo, fave.

QUÆ.